

*Gamundia Sueuorum septimum stationis monimentum sacellum
ob prodigium ibi tempore translationis patratum ipsi
consecratum.*

patria Im-
peratoris.

prope Ga-
mundiam.

in qua SS.
tres Reges
nocte
quiesce-
rant.

p. 2. l. 9. c.
4. Annal.
Sueuico-
rum.
situs eius
& origo

incremen-
ta.

templa.

mercatura
ciuium.

BRISACO Sueuiam, natale Caesaris solum, Reinoldus adiit, forte ius-
su eiusdem negotia quaedam ibi confecturus. Erat Ducum istorum
Sueuia tunc habitatio in arce Hohenstauffa vel Lorcha: prope qua loca
Gamundia recens tunc mœnibus aucta iure ciuitatis donata florere
mercato cœperat: iacet ea Brisacum inter & Bambergam: medio fermè
tineris (patio: quam nocturna sanctorum Regum statione nobilitatam
esse constans ciuium traditio, locus quietis, prodigium ibi patratum, sacellum
ideo Regibus constitutum, conseruatus cultus eorum perpetuus, & inscri-
ptiones euincunt. Primum huius stationis indicium. D. Benonius Iuris Li-
centiatus mihi aperuit: is anno 1636. Gamundiam profectus, à consu-
libus & primoribus hoc nomine, quod esset Colonienis insigni beneuolen-
tia habitus, ab ijs non semel fida narratione accepit cum sancti Reges Mediola-
no Coloniam transferrentur, ibi noctem vnã substitisse; monstratum eidem di-
uersorium domus ciuitatis honoratissima, qua velut curia senatus frequenter vti-
tur, expressis ante eam SS. Regum Christum adorantium imaginibus, & addita e-
pigraphæ, quod eandem domum quiete sua contecrassent, est ea modo libera ciui-
tas imperij, Catholicæque fidei tenacissima, nullum vt ciuem A catholicum toleret,
& perstitit exinde, quo condi cœpit in auita religione constantissima, licet inter me-
dios hæreticos sola fidem orthodoxam profiteatur, & sapius his turbulentis Ger-
maniae tempestatibus Suecorum armis & aliorum hæreticorum præsijs teneretur,
nunquam tamen adduci potuit, vt vllum ciuem A catholicum admitteret: quod
beneficium nonnulli ciues S. Virginis Mariæ & SS. Regum cultui adscripserunt:
certè exinde magnis auctum esse incrementis & priuilegijs, ex ijs quæ de origine eius,
situ & progressu Crusius in Annalibus Sueuicis prodit, licet colligere, quæ operæ
pretium est præmittere, vt cetera testatiora fiant. *Gamundia ciuitas imperialis
sita est in parte Sueuicæ, vbi vallis Ræmsia est. In notitiam venisse putatur sub Fri-
derico antiquo, vel vnioculo, antiqui filio, Duce Sueuico circa an. 1090. & 1110.
muro eam vnioculus cinxisse fertur. Aucta deinde sub Ducibus Sueuicæ est, præser-
tim sub Conrado tertio Rege Romanorum, & Friderico Barbarossa Imperatore.
Fuit huius familiæ quondam habitatio in arce Hohenstauffa, & Lorcha, item in
pago Walthusen, vbi suum habebat tabellarium, seu cancellariam. Ab illis donata
& ornata est Gamundia iure ciuitatis & priuilegijs, quemadmodum aliæ quoque
huius regionis ciuitates, Goëppinga, Reutlinga, Eslinga, Vlina: & infra, cum nobiles
vrbis ciues enumerasset subdit cœnobialia loci. Monasteria, ait, Gamundiana Augull-
nianorum Eremitarum à Rege Conrado fundatum; deinde Prædicatorum, præte-
rea Minorum vel nudipedum, à nobili viro Walthero Rinderbachio conditum, in quo
S. Francisci discipulus F. David humatus. Extra oppidum cœnobium feminarum
Augustinianæ disciplinæ, nunc sub Prædicatoribus, vel Dominicanis, ædificatum à
ciuibus Gamundianis Scaupensibus A. 1240. Templum Gamundia primarium præ-
clarum, liberalitate egregiorum ciuium conditum & S. Cruci, ac B. Virgini Mariæ
dicatum. & infra, Templum in vrbe 1. S. Mariæ. 2. S. Ioannis. 3. S. Viti. 4. S. Mi-
chaëlis. 5. S. Sebaldi. 6. fanum hospitale. 7. sacellum S. Nicolai. 8. sacellum S. Nico-
lai, quod Lutherani petierunt. Mercaturam ciues exercent, eamque in longinquas
terras. Opificia ibi sunt præcipua fenifeciorum, & globulorum ex crystallo, succi-
no, ossibus, ligno. per quorum globulorum foramen funiculus aut neruus traiectus
inseruit illis, qui globulorum numero preces suas metiuntur. Vulgo pater noster vo-
cant. Talia in Galliam, Italianam & alio exportantur: inde in Turciam quoque. Hæc
Crusius.*

Hæc vt certius inuestigare, & vt ab incolis ipsis, eorumque primoribus ac testibus incorruptissimis expiorarem rei veritatem, traditiones loci, vestigia, & inscriptiones, literis egi cum primariæ S. Crucis & B. V. Mariæ Basilicæ curione eodemque Decano Rurali, vt sua & Magistratus Gamundiensis autoritate testatiora rei monumenta, quæ superant, confirmaret, id Adm. R. D. Magister Ioannes Schleicher curionemulatissimè præstitit, egit ea super re cum senatu & consulibus: qui rebus omnibus diligenter exploratis, literas duplices ad me tam Ecclesiastici, quam secularis Magistratus nomine miserunt, vtriusque chirographo & signo munitas: primis beneuolentissimè testantur translationis SS. Regum per eum locum veritatem, alteris vtriusque meis propositis quæstionibus satisfaciunt copiosè: hoc exemplo.

Literæ Magistratus Ecclesiastici & secularis liberæ imperialis ciuitatis Gamundie Suecorum de translatione SS. trium Regum per eum locum facta.

Pax in Christo Iesu.

Admodum R. obseruandissime D. Pater.

Literas suas, in quibus pro descriptione translationis SS. trium Regum Mediolano Coloniæ factæ (quo tempore horum Sanctorum corpora vna nocte in nostra ciuitate quieuerunt) num memorabile quid circa illa contigerint, ab vtroque magistratu attestationem quandam expetijt, ego & nos omnes magna cum consolatione accepimus, cum verò opera Dei, quæ per Sanctos suos operari solet, reuelare & confiteri sit honorificum, idcirco ea, quæ potuimus industria de hoc negotio inuestigauimus, factaque diligenti inquisitione, ex libris authenticis quidem nihil hac super re inuenire potuimus, præter ea, quæ tum ex probabili traditione, tum certâ noticiâ cognouimus, prout in responsis ad Ad. R. P. V. quæsitâ his inclusis exhibemus legenda.

Sanè si Dominus Deus aliud miraculum cum ciuitate nostra non perpetrasset, hoc vnicum esset memoria perenni dignissimum, quod nimirum ciuitas hæc in medio hæreticorum & nationis prauæ sita, per specialem eiusdem prouidentiam & protectionem ab hæretica prauitate (ab ipsis erectis moenibus) in fide Catholica atque orthodoxa adhuc incorrupta virgo permanserit: ipse clementissimus Deus nos, & omnes successores nostros ad finem mundi vsque in ea gratiosissimè conseruare dignetur: hoc vt impetremus, assiduis precibus eius clementiam imploramus, & pro tam immenso beneficio gratias agimus, quas possumus maximas SS. quoque trium Regum, atque omnium Sanctorum suffragijs admodumque R. P. V. sacrificijs nos comendamus. Datæ Gamundie Sueuicæ die 24. Octobris A. 1651.

Consules & senatus sacri Romani Imperij liberæ ciuitatis Gamundie Succorum.

Admodum R. Pat. V. in Christo humilis seruus.

Magister IOANNES SCHLEICHER
Plebanus & Decanus Ruralis.

Appressum literis his duplex sigillum fuit, primum ciuitatis & Magistratus, in eo Angelus cernitur vtraque complexus manuscutum, in quo subsiliens monoceros expressus est: in peripheria scriptum legitur: *Sigillum secretum Gamundiensium*: alterum plebani fuit: imago cordis, è cuius vertice tres lineæ prodeunt appositis literis M. I. S.

His literis inserta fuit ad singula quæsitâ mea publica & autentica responsio in adiuncta charta simili modo consignata in hanc sententiam.

Responsio ad quæsitâ super translatione SS. trium Regum Mediolano Coloniæ factâ à Magistratu tum Ecclesiastico tum seculari liberæ ciuitatis Imperialis Gamundie transcripta A. 1651. die 24. mensis Octobris.

Ad primum quæsitum. An sit traditio loci SS. trium Regum corpora tempore translationis Gamundie Sueuorum vna nocte quieuerint? Respondetur omnino esse traditionem verissimam, quod tunc temporis vna nocte in ciuitate nostra horum SS. trium Regum corpora quieuerint.

Ad secundum. An huius rei in libris, picturis, facellis, foundationibus mento reperiat? Respondetur. Hæc SS. corpora deposita fuisse in honorificentissima ciuitatis

exquiritur rei veritas
à curione loci.
& Magistratu.
confirmatur translatio.
examinatur rei certitudo.
miraculum continuatum à translatione.
vna nocte Gamundie corpora SS. Regum quieuerunt.

In curiâ. tatis domo, in qua inclytus senatus sapius conuenire & consilia sua plerumque intima & secretiora, forensesque causas tractare solet; & in confirmationem huius adhuc præ foribus illius domus dependet tabula affixa, in qua imagines SS. trium Regum in forma, qua Christum Dominum adorantes venerati sunt, depictæ cum hac subscriptione tabulæ. *Als man zalt nach Christi geburt 1164. iahr / waren die Heilige drey König geführt von Meilandt / vnd lagen in diesem hauss vber nacht. Id est, an. à natiuitate Christi 1164. translati sunt sancti tres Reges Mediolano, & quieuerunt in hac domo vna nocte. Tabula hæc renouata est A. 1632.*

vt probat imago & inscriptio.

*sübstitute-
runt in pet-
ta pro-
giosè.
donec fa-
cellum ijs.
origendum
uolueretur.*

Ad tertium. An sacellum & locus supersit, vbi deposita dicantur fuisse? Resp. sacellum quidem interioris portæ ciuitatis superædificatum extare in honorem S. Nicolai & SS. trium Regum extructum, & antiquissima probabilis traditio habet, quod in transuectione sanctorum corporum sub illa porta currus & equites subfiterint, nec vlla vi potuisse progredi, donec votum factum fuerit, quod ibidem in honorem SS. trium Regum esset construenda capella, & tanto probabilior videtur traditio, quod nullibi forsan locorum capella portæ ciuitatis, vel turri superædificata reperiat.

Ad quartum & quintum. An id sanctis Regibus dicatum sit & senatus in eo interfit sacro ante consultationes? item an sit traditio circa mœnia corpora SS. Regum deportata esse. Resp. De hoc non habere nos vllam notitiam, nec etiam senatus in certo loco sacro interest, sed plerumque in maiori Ecclesia parochiali Beatiſſ. Virginis sacris interesse solet, & quolibet die per annum legitur sacrum in templo in honorem S. Ioannis Baptistæ ædificato, pro felici regimine Reipublicæ Gamundianæ Catholicæ.

*fidei con-
seruatio
adscribitur
Deiparæ.*

Ad sextum. An hodie adscribatur cultui SS. Regum, quod fides ibi Catholica sit hæctenus inter hæreticos seruata? Resp. Dicimus hanc diuinam conseruationem post Deum specialiter adscribi immaculatæ Dei genetrici V. Mariæ, vtpote patronæ Ecclesiæ Parochialis. Non quidem dubitamus, quin præter alios Sanctos & patronos Monasteriorum & Ecclesiarum etiam sancti tres Reges auxilium præbuerint singulare, cum in dicta Ecclesia parochiali tot præclara insignia & indicia venerationis maiorum habeamus: nimirum in tot picturis, sculpturis & imaginibus SS. trium Regum, in summo altari, & supra illud in fenestris, in & extra structuram templi, etiam supra quartam portam eiusdem, vbi secundum ritum Catholicæ religionis matrimonia coniungi solent, quibus demonstratur, quantum maiores nostri hos SS. Reges venerati fuerint, & ciues adhuc venerentur.

*& SS. Re-
gibus.*

*nullustole-
ratur hære-
ticus.*

Ad septimum. Nullusne ciuis hodie toleretur hæreticus, nec admitratur, nisi ediderit professionem fidei Catholicæ? Resp. esse verum, nullum tolerari ciuem hæreticum, nec admitti quemcunque etiam ad fidem Catholicam conuersum, nisi prius ediderit professionem fidei, & communicauerit ritu Catholico ac iuramentum præstiterit, quod nulli nisi fidei Catholicæ orthodoxæ adhærere velit, & si contra fecerit, quod hoc ipso municipium amiserit.

Ad octauum. Scianturne loca, vbi dicantur SS. tres Reges pridie aduentus & postridie quieuisse? Resp. Nobis de tali loco nihil constare.

*Epiphaniæ
solennitas.*

Ad nonum. An in festo Epiphaniæ aliqua peculiariâ fiant circa cultum eorum? Resp. in prædicta capella interiori portæ vrbis superædificata pridie Epiphaniæ vespas, & in ipsa festiuitate ex fundatione ad honorem SS. Regum officium siue sacrificium Missæ annuè solere decantari.

Ad decimum. An in alijs etiam templis ciuitatis altaria SS. Regum inueniantur? Resp. Nisi in tribus Monasterijs religiosorum: Patrum Prædicatorum, Augustinianorum & Franciscanorum huiusmodi altaria reperiantur, in reliquis ciuitatis templis & sacellis nulla sciuntur.

*templorū
toci multi-
ludo.*

Ad vndecimum. Quot sint templa vrbana & suburbana saltem maiora? Resp. Extare vna cum monasteriorum templis vrbana maiora quinque: inter quæ maius, amplius, magnificentius, iucundius, artificiosius, & rarius est templum parochiale ad B. V. Mariam: vrbana & suburbana minora sunt itidem quinque, nimirum ad S. Georgium, S. Vitum, S. Michaëlem Archangelum, S. Theobaldum, S. Spiritum: in hospitali denique capella ad S. Nicolaum & SS. tres Reges, extra

mœnia prope ciuitatem exstat templum ad S. Leonardum picturis pulchrè ornatum, alterum monasterium sanctimonialium Ord. S. Dominici, *Gottszell* dictum : ad S. Catharinam apud leprosos tertium: ad baiulationem crucis, vel requiem Domini, vulgò *zu vnsern lieben Heren Ruhe* dictum quartum: & deniq; quintum ad S. Saluatorem cum duobus altarib. & quod mirandum, ex vno eodemq; lapide exsculptu, deuotissimus locus quem etiam de longe venientes piè cū magno solatio solēt visitare.

Ad 12. An tempore bellorum Germanicorū per 34. iam annos manserint omnia templa in exercitio Catholico, & inuiolata ab hæreticis. Resp. Per Dei specialem gratiam omnes & singulos ciues in Catholica orthodoxa fide permansisse constantissimos, talesq; adfistente Dei gratia emorituros : in vrbe nullum templum fuit violatum, nisi quod militibus per aliquot dies commorantibus à prædicante Lutherano in vno templo ad S. Ioannem dicto concio fuit habita. Extra mœnia in monasterij & Saluatoris templis altaria per fractionem sepulcrorum fuerunt violata, reliqua verò permanserunt inuiolata. Actum Gamundia Sueuix Ann. & die vt supra.

seruata
tempore
bellorum
Germani-
corum.

In huius rei maiorem fidem loco cleri & inclyti senatus Gamundiani cum appresso consueto sigillo subscripserunt.

Locus sigilli. Ciuitatis Consules & Senatus sacri Romani Imperij libera ciuitatis Gamundia Sueuorum.

Magister IOANNES SCHLEICHER
Plebanus & Decanus Ruralis.

Locus sigilli eiusdem.

O liliū interspinas, Gamundia fide Catholica virgo incorrupta inter Hæreticos, quibus vndique circumdata ; sola ferè liberis inter imperij ciuitates nullum prorsus Acatholicum ciuem pateris, nam in hoc adhuc tibi cedit Aquisgranum, & ipsa Colonia, quæ licet, ab anno 1617. nullum amplius heterodoxum donarit ciuitate, restant tamen adhuc exiles reliquæ, nondum sublata, quæ decolorant fidei integritatem, eas confidimus intra decennium emorituras, vel fidelibus accessuras. Perge Gamundia perge toti imperio fidei puritate præluce, experta es in tot belli tempestatibus fidam, itabilemque diuinam tuitionem, patrocinio ductuque salutaris cynosuræ Deiparæ & SS. trium Regum : perge porro facem Germanis omnibus securissimæ navigationis inter syrtes & charybdes Hæreticorum præferre, vt tecum ad portum salutis omnes appellant feliciter.

Laus Ga-
mundia.

CAPVT XXXVIII.

Bambergæ post circuitum ad declinandos hostes exstat octauum vestigium stationis sanctorum Corporum.



Vis non sibi persuaderet Reinoldum Brisaco Coloniam secundo Rheno nauigasse? at si vnquam tunc potissimum hostium suorum insidijs obijciatur : in quibus Sueuix quidam duces eminebant. Brisaci verò in Brisgoia, vbi terræ Casaris quadam hereditaria erant : & Gamundia sicut & in Burgundia, quam dotis nomine ab Augusta acceperat Reinoldus securus sibi videbatur. Ideo Pontificales diœceses adeundæ erant. Bambergensis, Franconica, Moguntina, & Treuirensis: ne tanto thesauro, insidijs hostium spoliaretur. Bambergam igitur mulis clitelarijs vsus iter instituit, quo videtur mense Iulio iam inchoato peruenisse. Iacet ferè in meditullio Franconia, à S. Henrico Casare, SS. Apostolis Petro & Paulo, sanctoque Georgio consecrata, formam crucis exhibet: de qua Godefridus Viterbiensis.

ingentis
circuitio-
nis causa
hostes
multipli-
ces.
Bambergam
visit.
stus eius

*In crucis ergo modum posuit sibi paxo colonum
Qui veneretur eum, foueat, celebretque patronum
Stat medius Petrus, Stephanus sibi dexter habetur
Vertice stat Iacobus, læua Michael retinetur :*

templa.

Fert que secus fluuium virgo Maria decus.

Huc Reinoldum vna cum sanctorum Regum corporibus diuertisse, noctemque quieuisse, constans tenet populi traditio : confirmat ara triennio post SS. Regibus dedicata ; præterea anniuersaria memoria : quæ frequentissimo ciuium concursu ad locum quietis eorum quotannis renouatur, id ipsa contestatur.

vestigia
loci corpo-
ra SS. Re-
gum ibi
per nocte
quieuisse.